



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**In Canonem Sacrificii Missae, Vti & reliquas eiusdem  
Partes Brevis Ac Lvcv lenta, & ad pietatem vtilis Expositio**

**Veken, Frans van der**

**Coloniae, 1644**

§ 4. Memento etiam Domine famulorum famularumque

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9878**

§. IV.

*Memento etiam Domine famulorum  
famularumq̄.*

**N**ON soli Angeli adscendunt & descendunt per inysticam Iacobi scalam; sed homines quoque Angelici, vitæ mixtæ, quæ ex contemplatione & actione constat, addicti. Hi enim, ut præclare sub hoc scalæ symbolo tradidit Hugo Victorinus *a*, & adscendunt supernorum contemplatione, & descendunt cõpassione misericordie. Quos inter in diuino hoc Sacrificio cõsensus iure merito est Sacerdos, quando ut mediator Deum inter & homines nunc ad eius conspectum & sublime cœlorû altare attollit cogitationes & vota: nunc terram repetit, omnibusq̄; subueniendi studio, ipsos etiam defunctorum subterraneos carceres, vbi aliqua auxiliij spes superest, animo subit.

G

Et

*a Erud. Theol. c. 1. tit. 27.*

Et verò animas, quę in flammis purgatorijs detinentur, fidelium suffragijs ac potissimùm *acceptabili altaris Sacrificio iuuari*, Catholica Ecclesia *iuxta Apostolorũ traditionem* in sacris Concilijs, & nouissimè in Tridentino a nos docet. Quamobrem Sacerdos, sicuti viuorum memoriam ante Consecrationem, ita iam vitâ functorum Deo commendat: imitatus in hoc Christũ, qui cum ante suam mortẽ (quam Consecratio refert) nostram viuentium regionem pertransisset benefaciendo, post eandem inferos inuisit, ijsq; qui in tenebris & vmbra mortis lugebant, optatę glorię lucem intulit.

Dicimus autem, *Memento famulorum, famularumq; tuarum, qui nos precesserunt*: vt nimirum nos secuturos animaduertamus, & fortè post hoc Sacrificium. Id ergo cùm postremum esse possit, haud aliter quàm si reuera foret, summã animi innocentia & religione

a Sess. 22. c. 2. & Sess. 25. initio.

gione obeundum. Refert Origenes a  
Hebræorum Pontificem, eam præcipuè  
ob causam tulisse tintinnabula in orâ  
extremâ tunicæ hyacinthinæ, vt eorum  
sonitu moneretur resonantis perpetuò  
rerum extremarum memoriæ: cuius e-  
ximum hunc fructum Sapiens promit-  
tit *b, in æternum non peccare.* Haud a-  
lijs Christiano Sacerdoti ad suscitan-  
dam tantæ utilitatis memoriâ tintin-  
nabulis est opus: quàm perpetuâ quo-  
tidianis in Sacris mortuorum comme-  
moratione.

Addeimus, *cum signo fidei*, id est, cha-  
ractere baptismi, quo insigniti ad Chri-  
sti familiam pertinere dignoscuntur.  
Sed quia solus character ad fructum  
Sacrificij percipiendum non sufficit,  
copulantur hæc verba, *Et dormiunt in  
somno pacis.* Qua metaphora finalis  
perseuerantia, siue mors in statu gratiæ  
describitur. Cùm enim in eo differat  
somnus à morte, quod hæc omne vitæ

G 2 prin-  
a *Hom. 9. in Exod.* b *Eccli. 7.*

principium tollat, ille verò solas vitæ o-  
 perationes temporali vinculo liget: iusti,  
 cum ex vita abeunt, Apostolicâ phra-  
 si *dormire* dicuntur, quia gratiam reti-  
 nent, quæ animæ vita ac beatæ resurre-  
 ctionis aliquando secuturæ est semen.  
 Hic verò *somnus* licet in animabus pur-  
 gatorij nondum sit plenæ *pacis*, siue  
 beatitudinis in re ipsa: est tamen in in-  
 fallibili expectatione & spe. Quæ ut  
 tanto citiùs in rem deducatur, serui-  
 unt preces sequentes: *Ipsis, Domine,  
 & omnibus in Christo quiescentibus lo-  
 cum refrigerij, lucis & pacis, ut indul-  
 geas, deprecamur, per Christum Domi-  
 num nostrum, Amen.*

Ad specialem commendandorum  
 memoriam seruire Sacerdoti pote-  
 runt, quæ de memoria viuorum infi-  
 nuauit cap. 3. §. 3. Quo autem maiori  
 affectu & curâ illis Dei famulis nostra  
 suffragia impendamus, à Christo Præ-  
 ceptore nostro, quem, ut aliquando  
 Ecclesiæ Propheta a promisit, *oculi no-*  
*a Isa. 30.*

*stri hinc vident, illud Christianæ philo-*  
*sophiæ placitum nobis dictari audia-*  
*mus a: Prout vultis ut faciant vobis ho-*  
*mines, (breui fortè in eodem purgantis*  
*flammæ cruciatu futuris, & quidem*  
*propter præsentis Sacrificij negligentias*  
*atque defectus.) & vos facite illis simi-*  
*liter. a Luc. 6.*

§. V.

*Nobis quoque peccatoribus.*

**S**Citè ad Dioscorum scripsit Augusti-  
nus a: vt olim Demosthenes ter ro-  
gatus, quid præcipuum esset in orato-  
ria facultate, ter respondit esse Pronun-  
ciationem: (alij id referunt de Actio-  
ne) ita si de præceptis Christianæ reli-  
gionis rogaretur, semper responsu-  
rum, *Humilitatem*. Quod cum in com-  
muni Christianorum vita verissimum  
sit: magis tamen in Sacerdotali, & ma-  
ximè in præsentis Missæ officio obtinet  
locum. Atq; hinc Ecclesia inter tot alios

G 3 vir-  
*a Epist. 56.*